

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Zaringo Badensis**


**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

CXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

Nouerint Vniuersi quod nos pro remedio animarum nostrarum & Divini Cultus augmento aream unam in Curia Monachorum de *Thennibahc* sita juxta *Friburc* in qua scilicet Capella de nouo constituta est: quæ nobis in xij. s. annui census tenebatur, manumittimus & liberam constituimus. ita quod nec nos nec heredes nostri predictum in ea Census vel aliud quicquam ratione Census deinceps exigere debeamus. ut autem hec rata permaneant presentem paginam Sigilli nostri muniminè duximus roborandam. Acta sunt hec anno Domini M. C. C. XXXVII. Mense Julio in Ecclesia de *Friburc* in presentia testium subscriptorum. W. Monachi in *Thennibahc*. W. de *Stoufen*. H. de *Velthem*. H. *Sculteti* in *Friburc*. H. *Fasarij*. C. de *Zæringen*. L. de *Munzingen*. & aliorum quam plurium.



## CXIII.

CONRADI COMITIS FRIBURGENSIS ET FRATRUM  
EJUS INSTRUMENTUM DE CAPELLA IN SUBURBIO  
CASTRI FRIBURGENSIS EXTRUCTA.

CIRCA ANNUM MCCXXXVII.

*Ex Tabulario Tennebacensi.*

**C.** Comes de *Urâh*. Dominus de *Friburc* B. H. & G. fratres ejus. omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis. Rej geste noticiam. Pia potentum opera cum in scripta

---

rediguntur non hoc provana fit gloria, sed ut potentibus eorum similibus familia faciendi relinquuntur Exempla. Ea de re dilectus bone memorie progenitor noster Comes Eginô de Urah Dominus de Friburg. cum pro anima sua dilectæque matris nostre A. Comitisse: & pro animabus Parentum utriusque Divini Cultus intendens augmentum in grangiâ Monachorum sibi fidelium ac Dilectorum Rev. Abbatis & fratrum in Thennibach in Suburbio Castri sui sita, Capellam ad honorem Dej & Beate Virginis, & Beati Johannis Baptiste fieri decrevisset, & partem sumptuum adhuc vivens ad ipsam construendam provide deputasset, eo viam universi carnis ingresso, nos ejus filij cum verbo & consensu prenominatæ dilectæ Matris nostre Comitisse: bonum sue deuotionis propositum per omnia ratum habere cupientes, cum eadem Capella facta fuisset & perfecta, in ipsius Consecratione que Die Apostolorum Philippi & Jacobi facta est, ad dotandam Ecclesiam, xij. sol. remisimus a dictis fratribus in Censum annuatim persolvendos, hoc etiam ordinantes ut exinde lumen eidem Ecclesie perpetuo debeat ministrari, ut autem presens factum nostrum ab omnibus Heredibus nostris ratum haberi oporteat, presentem paginam dedimus in testimonium rei geste Sigilli nostri munimine roboratam.

---